



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

27. Charitas in præsentia Dei.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

PASSUS XXVII.

Charitas in Præsentia Dei.

TEXTUS.

*Ambula coram Me, & esto perfectus. Gen. c. 17.**Cognitio.*

ANima mea, si ad amorem Dilecti tui, atque ad perfectionem aspiras, utere hoc efficacissimo medio, à Sanctis tantopere commendato & usurpato, ut memoria assidua divinæ præsentia in te vigeat: id est, ut Deum tibi præsentem habere nitaris, sive, excitato fidei actu, te in Deo, veluti piscem in aqua, aut spongiam in mari, ejus immensitate circumfusum aspicias; sive Deum in te, & in anima tua intimè præsentem contempleris. At, velim consideres Deum, non nudè præsentem, sed ac si totus esset oculus, te & omnia tua considerans, totus amor te diligens, totus bonitas & liberalitas tibi benefaciens, te conservans, regens, gubernans, ac bono tuo ita invigilans, tanquam si nihil aliud haberet agendum.

Actus:

Actus:

1. Vivæ fidei actu, Deum sibi intimè præsentem, omniâque cernentem credere.
2. Hunc, illúmve defectum, in præsentia Dei, emendare, passionem domare, pravam consuetudinem deponere, &c.
3. Opera ordinaria, vel opus unum, quod obire soles negligentius, in præsentia Dei corrigere, exactiúsque obire.
4. Deum præsentem adorare, sperare ab illo omnia, eundem amare, revereri, timere, gaudere, aliisve virtutum actibus profequi.
5. Denique veluti panis ad omnes cibos; ita præsentia Dei ad omnia peccata emendanda, ad opera ordinaria omnia perficienda, ad virtutes omnes exercendas, & acquirendas adhiberi potest.

Dilectio.

Domine Deus meus ; ego sum in Te
 veluti piscis in aqua, lava me ! sum in Te
 velut avis in aëre, sustenta me ! sum in Te
 velut infans in utero : serva me ! sum in Te
 velut pupilla in oculo, custodi me ! sum in
 Te velut carbo extinctus in igne, reaccen-
 de me ! Tu quoque, mi Deus, es in me,
 velut Magister in schola ; doce me : velut
 Medicus in nosocomio, sana me : velut
 Sol

Sol in cœlo, illumina me: velut Deus in templo, sanctifica me: ut perfectiùs cognoscam & diligam Te: ut sincerius & accuratiùs Tibi seruiam, obediam & placeam. *Oculi enim tui multò lucidiores sunt Sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & in omni loco contemplantur bonos & malos.* Eccli. c.23. 28.

Petitio.

Deus immense, qui ubique es per essentiam, præsentiam & potentiam, Inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum: concede mihi, in præsentia & conspectu tuo ita perfectè ambulare, ut in charitate cresciam, & omnium actionum mearum perfectione Tibi placeam.

Aspirationes.

I. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Psal. 15.

II. *Magna nobis indita est necessitas justè, rectèque vivendi, qui eunèta facimus ante oculos iudicis cunèta cernentis.* S. August. solil. c.14.

III. *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto.* 4. Reg. 3. 14. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Act. 17. 28. *Quare in omni-*

omnibus viis cogita illum, & ipse diriget gressus suos. Proverb. 3. 6.

PASSUS XXVIII.

Charitas Zeli Animarum.

TEXTUS.

Zelus domus tuæ comedit me.
Psal. 68. 10.

Cognitio.

Zelus est intensus justii, veri amatoris affectus, quo diligentissimè quærit honorem Dei, & proximorum salutem, & quidquid his duobus opponitur, fortiter constantèrque repellit.

Hic autem zelus est ignitus amor DEI, desideriumque, ut is ab omnibus enixè ametur, honoretur, colatur, tam incensum, ut qui eo ardet, omnes eodem inflammare cupiat: & si Deum impunè injuriis laceffi animadvertat, ingemiscat; atque igne illo consumente, & intimè viscera depascente, planè contabescat.

Triplicis verò generis actiones sunt, quibus à zelatore zelus exercetur. 1. Aliæ ad intellectum illustrandum valent: ut lectio,
M doctio,